

*paratas. — Eos, qui philosophiae dent operam, non arbitrari deos esse.* Similitudo autem in contrariis et paribus, et in iis rebus, quae sub eandem cadunt rationem, maxime spectatur. In contrariis, hoc modo: *Nam si iis, qui imprudentes laeserunt, ignosci convenit, iis, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet.* Ex pari, sic: *Nam ut locus in mari sine portu navibus non esse potest tutus: sic animus sine fide, stabilis amicis non potest esse.* In iis rebus, quae sub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile consideratur: *Nam si Rhodiis turpe non est portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe est conducere.* Haec tum vera sunt, hoc pacto: *Quoniam cicatrix est, fuit vulnus;* tum veri similia, hoc modo: *Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat.* Omne autem (ut certas quasdam in partes distribuamus) probabile, quod sumitur ad argumentationem, aut signum est, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. *Signum* est, quod sub sensum aliquem cadit, et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum, et tamen indiget testimonii et gravioris confirmationis; ut cruor, fuga, pallor, pulvis, et quae his sunt similia. *Credibile* est, quod sine ullo teste, auditoris opinione firmatur, hoc modo: *Nemo est, qui non liberos suos incolumes et beatos esse cupiat.* *Judicatum* est, res assensione, aut auctoritate, aut iudicio alicujus, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, approbato. *Religiosum* est, quod jurati legibus judicarunt. *Commune* est, quod omnes vulgo probarunt, et secuti sunt; hujusmodi: ut majoribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur. *Approbatum* est, quod homines, quum dubium esset, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate: velut Horatii factum, a populo approbatum, quod occidit sororem, quum illa devictum Curiatium hostem doleret; vel ut Gracchi